



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 32. Modus initiandi Episcopos & Presbyteros.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

assentiri vellet, in carcerem conjectus Sæcul XVI.  
A.C. 1550.  
fuit, eoquod rituale novum de initiandis Episcopis, ac Sacerdotibus approbare, constanter recusasset.

## §. XXXII.

*Modus initiandi Episcopos, & Presbyteros.*

**N**ova hæc forma latine conscripta nil nisi manuum impositionem complectebatur, quin ulla fieret mentio de unctione, sacris vestibus, instrumentorum traditione, aut de potestate offerendi Deo Sacrificium pro vivis, atque defunctis. Percipiamus vero, quisnam ritus pro inaugurandis Sacerdotibus fuerit præscriptus. Præprimis præmittitur eadem adhortatio, quæ pro S. Diaconatus Ordine designatur, dein ad hanc sequitur Cœnæ administratio, & postea legitur epistola ex capite vigesimo Actuum Apostolorum a decimo septimo usque ad trigessimum sextum versum, si vero eadem die Diaconi simul, & Sacerdotes initiandi sunt, tunc totum caput tertium epistolæ primæ ad Timotheum recitatur, cui etiam adjunguntur ultima verba ex postremo capite D. Matthæi, vel caput decimum S. Joannis a primo versu usque ad decimum septimum, aut denique vigesimum ca-



Sæcul. XVI. put ejusdem S. Evangelistæ a versu de-  
 A. C 1550. cimo nono usque ad vigesimum quar-  
 tum. His ita prælectis recitatur, vel  
 decantatur Hymnus de S. Spiritu: *Veni Creator Spiritus &c.* quo absoluto Ar-  
 chidiaconus initiandos Episcopo sistit,  
 dicens: „ Reverende Pater in Christo!  
 „ exhibeo tibi omnes, qui hic præsen-  
 „ tes adsunt, ut ad S. Presbyteratus  
 „ Ordinem admittantur. „ Postmodum  
 interrogati respondent, Episcopus vero  
 facie ad populum versa inquit: „ Di-  
 „ lectissimi Fratres mei! ecce illos,  
 „ quos per Dei voluntatem ad sacrum  
 „ Presbyteratus ministerium admittere  
 „ decrevimus, cum post maturum exa-  
 „ men nihil in eis deprehenderimus,  
 „ quod illos hujus muneris indignos  
 „ redderet, unde speramus, quod le-  
 „ gitime vocati sint: si vero ex vobis  
 „ quisquam in illis grave quoddam cri-  
 „ men, aut legitimum impedimentum,  
 „ propter quod a tam sancto Ministerio  
 „ arcendi essent, sibi notum haberet,  
 „ statim pro Deo, & propter Deum il-  
 „ lud libere manifestet. „ Hac investiga-  
 tione facta juxta novum ritum recitantur  
 Litanix, ac Episcopus quamdam pre-  
 cationem supra initiandos effundit, ac  
 demum ab eisdem juramentum de su-  
 prema Regis potestate tam in sacris,  
 quam in profanis exigit, quo præstito pro-  
 lixa



lixa sequitur oratio, seu potius discursus, in quo illis sui muneris officium, ac juramentum hoc adimplendi necessitas exponitur.

## §. XXXIII.

*Interrogationes ab Episcopo Presbyteris factæ, eorumque responsa.*

Aboluta hac oratione Episcopus quædam ab initiandis interrogat, cui & illi respondent. Præprimis sciscitatur Episcopus: „Anne tibi plene persuasum habes, quod juxta voluntatem Dei, ac Christi Domini, necnon secundum legitimam hujus Regni Constitutionem ad Sacerdotium vocatus sis? „ Respondet initiandus: „ Ita, de hoc persuasus sum: *Episcopus.* Credisne, quod omnis doctrina Christiana ad salutem æternam per fidem in Christum necessaria sufficienter contineatur in S. Literis? Erisne etiam sollicitus, ut populus tuæ curæ commissus hisce veritatibus imbuatur, easque edoceatur, adeo, ut nil omitas eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, atque ex ipsius sacri Codicis testimonio comprobari possunt: *Initiandus.* Ita, hoc credo, illudque cum adjutorio divinæ gratiæ adimplere paratus sum. *Episcopus.* Num

M 4

„ etiam

Sæcul. XVI.  
A. C. 1550